

2. D. B. V.

**PAPISMUS
SOLATII EXPERS**

IN ACADEMIA JENENSI
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO
GVILIELMO HENRICO,

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ WESTPHALIÆQUE, RELIQUA,

PRÆSIDE
SUMME REVERENDO, ATQUE EXCELLENTISSIMO
DOMINO

JOHANNE ANDREA DANZIO,

THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSQUE ET SACRARUM AC ORIENTALIUM
LINGUARUM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
LONGE CELEBERRIMO,

PRO CONSEQVENDA

L I C E N T I A
GRADUM DOCTORIS THEOLOGIÆ
CAPESSENDI

DISSERTATIONE INAUGURALI

SOLLEMNI ERUDITORUM EXAMINI EXPOSITUS

D. III. JULII cl^o 17c^o XV.

A

a. XXIV. 23.

M. JOH. AUGUSTO OLEARIO,

ECCLESIARUM IN DIOECESI JUTREBOCENSI SUPERINTENDENTE
DUCALI SAXO-QUERFURTENSI ET PASTORE PRIMARIO.

JENÆ, LITERIS MULLERIANIS.

l. diss. A
23

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



15: 100. 8



I. N. J.

PAPISMUS SOLATII EXPERS.

§. I.



U^T vera religio, quae DEUM recte agnoscendi & colendi rationem innuit, & diuina nititur reuelatione, firma exhibet animae solatia, conscientiam tranquillat, de NUMINIS supremi gratia ac salute aeterna certos facit homines, mortemque iis beatam spondet: ita falsam contra religionem dixeris, quae adflictam animam solatio solido priuat, conscientiam perturbat, atque homines, de salute sua anxios, e vita discedere iubet. Recte igitur & hoc nomine falsitatis arguitur pontificio-

A 2

rum

rum religio; quod clare demonstrari potest, *Papismum solatii prorsus expertem esse.*

§. II.

Fons veri solatii est verbum euangelii diuinitus inspiratum: quo ineffabilis DEI in nos amor ac infinitum redemptionis pretium, quod pro nobis soluit Christus, ante oculos proponitur, fides in eum accenditur, remissio item peccatorum & pax cum DEO cunctis, qui non morose repugnant, confertur. Immo *διὰ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν* spes sempiternae salutis egregie fulcitur, (Rom. XV, 4. c. I, 16. Jo. XX, 31.). Hunc vero solatiorum fontem obstruit Papismus, aditumque ad perpetuum ejus usum præcludit: dum laicis, litteratis aequè ac illitteratis, severe interdicit; ne scripturam sacram, in vernaculam linguam conuersam, nisi episcopi aut inquisitoris permissu, legant. Patres quippe Tridentinae synodi indici auctorum librorumque prohibitorum decem subjungere regulas: quarum quarta licentiam scripturas legendi arctis circumscribit limitibus, atque his exprimitur verbis: *Cum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde*

inde

inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte iudicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii, bibliorum a catholicis auctoribus verborum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerunt, ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere praesumserit, nisi prius bibliis ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.*

§. III.

Quamvis autem scripturas legendi copia perraro difficulterque impertiretur: postea tamen illa scripturae lectionem concedendi auctoritas ipsis episcopis ac inquisitoribus detracta est Clementis VIII observatione, regulae quartae adjecta, cuius haec sunt verba: *Animaduertendum est circa supra scriptam quartam regulam indicis fel. rec. PII papae IV, nullam per hanc impressionem & editionem de novo tribui facultatem*

A 3

tatem

* Verba regulae quartae sub finem concilii Trident. edit. Colon. leguntur.

tatem episcopis vel inquisitoribus, aut regularium superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi aut retinendi biblia vulgari lingua edita. Cum haecenus mandato & usu sanctae Romanae & uniuersalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias legendi vel retinendi biblia vulgaria, aut alias sacrae scripturae tam novi quam veteris testamenti partes, quamuis vulgari lingua editas: ac insuper summaria ac compendia etiam historica eorundem bibliorum, seu librorum sacrae scripturae, quocumque vulgari idiomate conscripta. Quod quidem inuiolate seruandum est.

§. IV.

Sed & eo audentiae processit GREGORIUS Papa XV, ut quam pontifices priores legendi scripturas dederant, licentiam, constitutione anno M DC XII edita, interuerteret. Ita enim pronuntiat: Nos motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostra deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes ac singulas licentias legendi & habendi libros quoscumque, ob haeresin vel falsi dogmatis suspicionem, vel alias quomolibet prohibitos, quibuscumque personis, cuiuscumque

cunque gradus & conditionis existentibus, etiam per litteras apostolicas ad tempus seu ad vitam, vel aliter quomodocunque & ex quacunque causa, tam per litteras in forma brevis, quam aliter quomodocunque a nobis seu praedecessoribus nostris Romanis pontificibus, seu ab habentibus a nobis vel ab eis facultatem & auctoritatem concessas, earum tenorem praesentibus pro expressis habentes, tenore praesentium reuocamus, cassamus & annullamus.*

§. V.

Immo ne laicis quidem esse integrum, Euangelia legere & Epistolas, quae diebus Dominicis exponi solent, ex indice librorum prohibitorum & expurgandorum, iussu *Antonii a Sotomajor*, generalis inquisitoris, edito Madriti M DC LXVII luculenter adparet. Qui inter regulas generales, quintam his verbis exhibet: *Cum experientia docuerit, ex permissione sacrorum librorum, lingua vulgari, plus inde ob hominum temeritatem, ignorantiam aut malitiam detri-*

* Vide itidem editionem Colon. Concil. Tridentin. in qua & Clementis VIII observatio, & Gregorii XV constitutio, circa finem habetur.

detrimenti quam utilitatis oriri; prohibentur biblia lingua vulgari exstantia, cum omnibus eorum partibus impressis aut manuscriptis. Pari- ter summaria & compendia, quamvis historica, eorundem bibliorum aut librorum sacrae scripturae, idiomate aut lingua vulgari. Non tamen clausulae, sententiae aut capita, quae libris catho- licorum, haec explicantium & citantium inserun- tur. Addendum est hoc monitum, in hac pro- hibitione comprehendendi librum, qui vulgo vocatur epistolarum & evangeliorum, idiomate vulgari; quamvis habeat aliquando breves expositiones, certis in partibus & evangelii. Quandoquidem est magna ex parte & fere totus, e textu sacro, idiomate vulgari. Nempe ob periculum, cui populus ignarus & vulgus subest, erroris, ex pra- vo intellectu; aliaque incommoda, quae experi- entia animaduersa sunt.

§. VI.

Neque nobis rubium est, quin eadem ho- dieque mens ecclesiae Romanae sedeat. Quum, qui nunc illi praeesit, pontifex Clemens XI Pascha- sium Quesnellium, doctrinam de lectione scriptu- rae sacrae omnibus permittenda mascule pro- pugnans

fuerint *καθ' ἡμέραν* scripturas, visuri an iis consentanea essent, quae a Paulo dicebantur, (Act. XVII, II.) laudabiliter imitari, interdicto publico impediuntur: qui ad miniculo cognoscendi iudicandique doctrinam diuinam orbati, spiritus examinare, num ex Deo sint (I Ioh. IV, I.), sibi que cauere a pseudoprophetis nequaquam possunt (Matth. VII, 15.). Sane de singulis fere fidei doctrinis, quas ipsis propinant doctores, dubitabunt plurimi: si ab euolutione sacrarum litterarum, ad quam eos ingens veritatem perquirendi desiderium exsuscitat, violenter arceantur. Immo efficiet inhibitio ista, vt *doctores suos suae diffidere caussae, facile sibi persuadeant.*

§. VIII.

Quae autem solatia instillari possunt iis, qui lectione diuini verbi sitim suam restinguere nequeunt? quam ieiuni erunt consolatores illi, qui scripturas sacras ex oculis auditorum temere subtrahunt, & susque deque habent? De cuius generis doctoribus *Claudius Espencaeus* theologus Parisiensis (in Tit. I.) iam olim conquestus est, *Episcopos nec per se docere, nec, si per substitutos doceant, ad pietatem exhortari. Sed iuri*
Cano.

Canonico & ciuili operam dare: immo pene peccatum putare, si quis scripturas legat: eosque, qui in lege Domini meditantur, quasi garrulos inutilesque contemnere.

§. IX.

Vt parum solatii e scriptura sacra hauriunt in papatu laici; ita Romana ecclesia peruersa sua facit doctrina, ne quis vllum ex baptismo suo possit solatium aut fructum salutarem expectare. Quum enim ad integritatem valoremque baptismi in ecclesiae ministro intentionem praestandi actum sacramentalem & faciendi id, quod ecclesia facit, necessario requiri, & ab ea baptismi efficaciam pendere doceat,* nullus pontificiorum, se rite baptizatum esse, certus esse potest. Quamuis autem fluctuantibus animum addere nonnulli studerent, ac vel vehementem quandam praesumptionem vrgerent, vel in defectu intentionis supplementum a summo sacer-

B 2

dote

* In concilio Tridentino de sacramentis in genere canon XI habetur: si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia, anathema sit.

dote praestari fingerent, de quo ita sentiunt: *Si summus sacerdos non suppleat illud, non posse accusari iustitiam diuinam, etiamsi paruulis baptizatis quidem iuxta institutionem Christi, sed sine ministri intentione, non remittat peccata:** mirandum tamen est, patres Tridentinos omnem lapidem hic mouisse, vt omne animabus solatium eriperent. Praesentiebant namque illi, praeclarum sacramentorum vsum cum producto & ecclesiae obtruso de dubitatione dogmate, aduersa fronte pugnare, &, si virtus sacramentorum ex diuina institutione pendere censeatur, fidem in usu sacramentorum firmam habere consolationis anchoram: ideo vt & hunc certissimorum solationum fontem conspurcarent, praeter diuinam institutionem ad integritatem sacramentorum etiam ministri intentionem, minimum virtua-lem, requiri dixerunt. Virtualement intentionem Bellarminus libr. I. de Sacram. cap. XXVII. explicat, *quod, si actualis intentio in praesenti ob evagationem mentis non adsit, tamen paullo antea adfuerit.* Quam explicationem contradictionis arguit Iohannes Hülsemannus: *Quomodo enim,*

* Vide Mart. Chemnitium LL. Theol. p. 225, seq.

*enim, inquit, potest dici Minister intendere aliquid in administratione sacramenti, quod tamen in ipsa administratione sacramenti non intendit, sed antea forsitan intendit? Num quid Monachus, qui paullo ante intendit seruare votum castitatis, & nunc intendens stuprare nonnam, dici potest habere intentionem seruandi castitatem?**

§. X.

Sacra Christi Coena sub vna, quae dicitur, specie tantum peracta, nullum praestat animae solatium, aut fructum salutarem. Hoc enim sacramentum est totum aggregatum, cuius nemo fit particeps, nisi partes omnes accipiat. Vnum numero sacramentum aggregatione actuum, qui praescribuntur, sacramentalium constituitur. Vnde si pars essentialis detrahatur, ipsam sacramenti naturam amittit; nec amplius est sacramentum. O miseros igitur pontificios! quos papa tam salubri saluatoris Coena defraudat.

B 3

§. XI. At

* Videatur Hülsemanni Manuale Confessionis Augustanae contra Hagerum disput. VII. p. 283.

§. XI.

At inquirunt, quid communioni sub vna specie deest, qua non modo corpus Christi, sed & sanguis eius vere porrigitur, quum corpus illud non sit sine sanguine? Verum licet sanguis Christi, & Christus ipse totus sub vna specie panis adsit *naturaliter*; non tamen adest *sacramentaliter* vi verborum institutionis, quae sub distinctis symbolis seorsim corpus, & seorsim sanguinem exhiberi volunt. Si autem a praesentia naturali vel item personali, ad praesentiam & perceptionem sacramentalem consequentiamnectere liceat; Christus in coelo etiam sacramentaliter esset & perciperetur. Ut vero corpus & sanguis Christi sit alicubi sacramentaliter, ad id requiritur, vt iuxta institutionis verba, sit sub aliquo elemento, & quidem distincto, ita vt dum est sub hoc elemento, non sit sub alio. Quoniam ergo Christi sanguis corpori non est sacramentaliter vnitus; non potest cum corpore sacramentaliter percipi: & si cum corpore percipiatur, non percipietur vt sacramentum.

§. XII.

Neque existimandum est, ea quae naturaliter
ter

ter sunt coniuncta, nullo prorsus modo leorsim
fisti & exhiberi posse. Si enim potuit secunda
persona Trinitatis incarnari, non incarnata prima
& tertia, etiamsi habeant eandem numero es-
sentiam, sibi que semper sint arctissime vnitae:
poterit etiam, iuxta liberrimam voluntatem
Christi instituentis, corpus nobis dari cum pane,
sanguis cum vino; etiamsi haec duo alias sint
coniunctissima.

§. XIII.

Itaque in quantum & quomodo Christus
in sacramento coenae percipiatur, ex sola Christi
institutione iudicandum est, quae totam sacra-
menti naturam limitat. Christus sacramen-
tum hoc instituens, de pane ait, & non de vino:
Hoc est corpus meum: de vino contra, quod
in calice erat, & non de pane: *Hic est sanguis
meus*. Vnde patet, quod panis praecise ex in-
tentione Christi debeat esse *noivwvia* corporis,
& calix praecise *noivwvia* sanguinis. (I. Corinth. X,
vers. 16.)

§. XIV.

Fac igitur, sanguinem Christi etiam cum
corpore

corpore Christi sub pane accipi; certum tamen est, sub pane non *bibi* sanguinem Christi. At Christus aperte iussit, vt sanguinem suum in sacra coena (non quocunque modo accipere-
mus, sed vt eum,) *biberemus*; & quidem sub vino, quemadmodum iussit: vt corpus suum *ederemus*, & quidem sub pane. Proinde si vel maxime sub vna Christus totus percipi posset; attamen contra institutionem Christi, auferretur externum illud ab ipso ordinatum elementum vini: quod, sumto solo pane, non simul per vllam concomitantiam sumi potest. Quum vero Pontificii nullam possint promissionem Christi producere, quod sese suam violantibus sacramenti institutionem, a qua omnis eius virtus pendet, vlllo modo sacramentaliter sistere velit: perspicue intelligitur, ipsos & pretioso Christi sanguine, quin toto sacramento coenae, se priuare. Quantum vero ex sanguinis Christi usu in sacra coena nascitur Lutheranis solatium, tanto in papatu priuantur solatio, calice priuati laici.

§. XV.

Consolationis diuinae nemo fit particeps, nisi fide in Christo recumbente polleat. At papismus

pismus fidem quidem admittit, sed vel *implicitam*, quae cognitione articulorum fidei necessariorum speciali destituitur, nec nisi coeco illo adfensu nixa, qua quis credere se ait, quid ecclesia credit, etiamsi quid illa credat, nesciat: quae vero non fides, sed ignorantia est: vel *generalem* tantum ac *mutilam* specialisque adfensus ac fiduciae expertem. Specialis fides ita adpellari suevit, non a promissione aut reuelatione cuius credentium peculiariter facta, sed tum ab obiecto suo speciali, quod est Christus mediator, in eoque fundata promissio de Dei gratia & salute aeterna; tum a speciali eiusdem obiecti vniuersalis adplicatione ad credentem. Quum autem haec de fide speciali doctrina pontificiis sit sudes in oculis, nullum fere ipsis superest solatium, quo adflictae animae praesto esse possent.

§. XVI.

Dum papismus in operibus fiduciam ponere, animique securitatem inde quaerere docet, illico non tantum fides a palmario suo obiecto, quod est meritum Christi abundantissimum, auellitur, adeoque fides esse desinit; ve-

C

rum

rum etiam tum Christi merito, vnico propitiatorio (Rom. III, 28. I. Ioh. II, 2.) infertur iniuria, quippe *si per legem* vel opera bona secundum legem effecta, *est iustitia* & hinc pendens salus, *Christus frustra mortuus est*, (Gal. II, 21.) *Et per legem* eiusue opera *iustificationem sui* vel vlla ex parte *quaerentibus Christus factus est otiosus* *Et gratia amissa*: (Galat. V, 4. 5.) tum gratia ac salus nostra fundamento arenoso dicam an stramineo, i. e. operibus nostris, etiam renatorum imperfectis, incassum superstruitur: id quod animum perpetuo suspensum potest efficere.

§. XVII.

Inprimis pestifera illa de gratia diuina & magis de salute aeterna dubitatio, quam papismus plenis, quod aiunt, velis inuehere laborat, in desperationis barathrum conicere potest. Ita enim in Concilio Tridentino Sess. VI. cap. IX. *Quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem* *Et indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*
Hinc

Hinc anathematis fulmine percutiunt nostram sententiam: vt Canone XIII: Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum adsequendam necessarium esse, ut credat certo & absque vlla haesitatione propriae infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit. Et Canone XV: Si quis dixerit hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum (siue saluandorum) anathema sit. Quantopere affectata haec dubitatio cuncta prope solatia destruat, non meis, sed ipsius Lutheri exprimam verbis: * *Vidi multos, inquit, qui summo studio & optima conscientia nihil non faciebant pro pacificanda conscientia, gestabant cilicia, ieiunabant, orabant, affligebant & defatigabant variis exercitiis corpora, quibus, si etiam ferrea fuissent, tamen ad extremum destruxissent ea; & tamen quo plus laborabant, hoc pauidiores reddebantur. Et praesertim imminente hora mortis, adeo erant trepidantes, vt plures viderim homicidas, poena capitis damnatos, confidentius mori, quam ipsos, qui tamen sanctissime vixerant. Nec praetereunda est ipsius Iesuitae Bresseri confessio **

C 2

fessio *

* Luth. Comment. Maior ad Galat. ex Tom. IV. Lat. Ien. f. 47.

fessio * *Conscientiam hominis Romano-Catholici nunquam posse esse serenam.* Vti vero pertinax de gratia ac salute dubitatio, dubias reddit Dei veracissimi promissiones, quin Deum facit mendacem, (I. Io. V, 10.) quod peccatorum omnium grauissimum est : vti quoque precum ex fide profectarum exauditionem, quam certo spondit Christus (Io. XVI, 23. Matt. XXI, 22.) irritam efficit, quia haesitans nihil accipit: (Iac. I, 6. 7.) vti item preces pro augmentis fidei donorumque Spiritus S. (Math. IX, 24. Luc. XI, 13.) refellit: ne de aliis iisque multo grauissimis dicam incommodis; ita tanto magis auersanda, ne ipsa hinc in periculum adducatur fides, eiusque indoles euertatur. Nequaquam enim dubitatio isthaec consistit cum fide, quam firmum & immotum ad sensum; quam certam animi fiduciam, promissiones diuinas, sine dubitatione apprehendentem; (Rom. V, 2. Eph. III, 12. Hebr. XI, 1.) quam *πληροφασίαν* vel indubitatum animi persuasionem, (Heb. X, 22. I Thess. I, 5. Rom. IV, 21.) quam etiam diuinae (in promissis) veracitatis ob signationem (Io. III, 33.) Spiritus S. signanter appellauit. Possemus quidem plures Pontificiorum doctrinas, consolationi verae valde inimicas, producere in scenam, & maxime absolutionem, quam vocant, sacerdotalem, a peccatorum singulorum enumeratione impossibili suspensam, itemque commentum illud de purgatorio, quod in eorum etiam terrorem vrgetur, qui sunt in Christo Iesu, & in quibus nulla obtinet condemnatio, (Rom. IIX, 1.) sub examen reuocare: sed receptui canendum iam est, diuinumque mihi celebrandum auxilium, quo adiutus dilucide satis ostendi, papismum esse solatii expertem.

* Martin. Bresserus Lib. II. de conscient. cap. XIII. p. 199.

¶ (o) ¶

Coll. diss. A. 24, misc. 23